

1. coronatur Corona ferrea Aquisgrani Ab Archiepiscopo Coloniensi, ibi ungitur, & illi traduntur Imperii insignia, scilicet gladius, sceptrum, & pomum: aliaque solemnitates fiunt. 2. coronatur Corona argentea Modocetæ Ab Archiepiscopo Mediolanensi. 3. Romæ Corona aurea à R. Pontifice. De quibus latè *Morerii in Diction. Histor. V. Alemagne. Diction. de Trevoux. V. Election. Et latissimi Restaur. Castald. integ. Tom. de Imperatore.*

III. VII.

De Translatione Episcopi.

174 *Translatio Episcopi dicitur ille transitus, quo Episcopus, propria Ecclesia relicta, ad aliam vacantem transferitur. Etiam dicitur transmutatio: possuntque transferri Præpositus, Abbas, & Archiepiscopus. Et potest quis de minori ad majorem, parem, vel minorem Ecclesiam transferri; quamvis regulariter non debeat fieri translatio ad minorem Ecclesiam, C. 1. h. t. ubi Innoc. III. ait: Novo quodam mutationis genere parvificasti majorem; & magnum quodammodo minorasti, Episcopate Archiepiscopum, imò potius de Archiepiscopate presumens. Olim hæ translationes Episcoporum autoritate Synodi poterant fieri, C. 37. 7. q. 1. & probat Gonz. in C. 1. h. t. n. 15. Sed cum hæc sit una ex majoribus Ecclesiæ causis, C. 2. h. t. merito R. Pontifex eam sibi reservavit, C. 1. h. t. L. 5. tit. 5. p. 1. ita ut nullus Episcopus, etiam Titularis, habens Ecclesiam in partibus Infidelium, possit ad aliam sine Papæ licentia transferri, C. 1. h. t. Gonz. in C. 2. h. t. n. 3. Nec debet fieri translatio, si non detur necessitas, vel utilitas; v. g. Si Episcopus in ea Ecclesia patitur æris intemperiem, vel persecutionem plevis, vel si sit spes majoris lucri spiritualis in Ecclesia, ad quam transferitur: quinimò ex minoribus causis potest fieri translatio. Non solum non potest Episcopus autoritate propria ad aliam Diocesim transire, sed nec ipsi licet Sedem Cathedralē mutare in aliam Civitatem, etiam ejusdem Diocesis, ut ex illis verbis, *Tex. in C. 1. h. t. translationes Episcoporum, & sedium mutationes colligit Gonz. ibid. num. 11. debent ergo fieri hujusmodi translationes tantum, quando utilitas, vel necessitas hoc exigit, C. 34. 7. q. 1. ibi: Mutationes Episcoporum, scilicet, communi**

utilitate, atque necessitate fieri licet, sed non propria cujusquam voluntate, sicut dominatione. Petrus Sanctus Magister noster, & Princeps Apostolorum de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere possit. Eusebius quoque de quadam parva Civitate, Apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam: non tamen sine Sacrosanctæ R. Sedis auctoritate, & licentia.

175 Episcopus tantum electus, etiam si confirmationem petisset, non indiget ad translationem Pontificis licentia, cum sine superioris autoritate possit Episcopatu renuntiare: quando verò confirmatus est, cum jam sit ratum conjugium spirituale inter ipsum, & suam Ecclesiam, non potest sine Papæ licentia celebrare conjugium cum alia Ecclesia, nec ad illam transire, C. 2. h. t. sed si propria autoritate transeat, utramque amittit in peccatum temeritatis, C. 3. h. t. c. 31. 7. q. 1. ibi: *Non solum à Cathedra pellatur alienas, sed carebit, & propria, ut nec illis præstet, quos per avaritiam concupit, nec illis, quos per superbiam preestit. Episcopus consecratus etiam potest ad aliam Ecclesiam transferri autoritate Pontificis, C. 34. c. 35. 7. q. 1. Et cum Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, tunc Papa dissolvit autoritate Divina, potestate immediate ipsi tanquam Supremo Christi Vicario à Christo concessa, C. 2. h. t. ibi: *Non enim humana, sed potius Divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate R. Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu-Christi) Episcopus ab Ecclesia remouetur, & ideo tria hæc, que præmissimus, non tam Constitutione Canonica, quam institutione Divina soli sunt R. Pontifici reservata. Hic textus verè difficilis, Crux ingeniorum est, & ideo non debet accipi in stricta significatione, quam præfert, & ut aliqui eum intelligunt, inde deducendo, vinculum Episcopi cum Ecclesia esse indissolubile de Jure Divino. Nam verius est à jure tantum Ecclesiastico, hæc indissolubilitatem provenire, & *Tex. in C. 2. h. t. intelligendum est sic: scilicet, quod Deus reservavit sibi dissolutionem vinculi Episcopalis eo modo, quo prædictum vinculum dissolvitur autoritate Divina, hoc est, autoritate divinitus data Christi Vicario: ac proinde dicendum est, quod Deus sibi hæc dissolutionem reservavit, sed faciendam per***

suum

suum Vicarium; ac consequenter est ex institutione Divina, non immediate, sed mediate, *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 1. cap. 16. ex n. 20. inter Episcopum enim, & Ecclesiam intervenit matrimonium, per quamdam analogiam cum matrimonio carnali, quæ stat in eo, quod neutrum possit dissolvi ex voluntate contrahentium, non tamen stat analogia in aliis: siquidem matrimonium carnale, neque ex Pontificis dispensatione potest dissolvi, postquam jam consummatum est, quod aliter se habet in matrimonio spirituali per consecrationem consummato; quia hoc non significat conjunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, ut significat carnale, C. 5. de Bigam. Deinde ex Pontificis dispensatione potest idem Episcopus duas simul habere Ecclesias, cum certum sit, quod Pontifex non potest dispensare, ut quis simul duas habeat uxores. Et hæc ratione matrimonium carnale est indissolubile, & efficacius quam spirituale. Hoc tamen dicitur fortius vinculum in C. 2. h. t. quia eo quod spirituale est, dignius carnali censetur: & est efficacius, quia per consecrationem imprimitur character indelebilis in anima, & aliquomodo est indissolubile, quia sine licentia Papæ non potest Episcopus à sua Ecclesia discedere, cum in carnali possint conjugens mutuo consensu separari quoad torum, & cohabitationem, *Suar. de Relig. t. 3. lib. 1. cap. 16. Gonz. in c. 1. h. t. n. 16. Villaroel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 13. n. 52.**

176 Pontifex communi utilitate, vel necessitate suggerente, Episcopum, etiam invitum, potest absolvere à vinculo, quo Ecclesiæ suæ ligatus est, ita ut Ecclesia hoc ipso vacet: non tamen potest invitum transferre, quia cum sic translatus contrahat conjugium spirituale cum Ecclesia, C. 2. h. t. debet præcedere consensus sponsi; arg. C. 14. de Sponsal. C. 21. de Election. sed si bonum publicum Ecclesiæ hæc exigat translationem, tenetur ipse Episcopus consentire; quod si renuat, potest cogi poenis à Pontifice inflictis, ut consentiat, C. 35. 7. q. 1. ibi: *Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiæ, aut propria voluntatis, vel suæ delectationis migrat de Civitate ad Civitatem, sed causa necessitatis, aut utilitatis mutatur: nam plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati præferenda est: aliud est enim mutare, aliud mutari. Hujusmodi translationes jam à tempore Julii I. & Concilii Sardicensis tempore Osii in usu sunt in Ecclesia; ex *Suar. de Relig. t. 3.**

*lib. 1. cap. 16. n. 12. & frequenter in nostra Hispania fiunt. Nam nostri Reges præstant Episcopos ad majores, & altiores Ecclesias, ut sic zelus, virtus & merita ipsorum præmio debito afficiantur: Nec illic damnandum est, quod quis desideret promotionem, vel translationem ad Episcopatum, nam potest ex bono fine, modo, & circumstantiis tale desiderium coonestari, *Villaroel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 13. ex n. 54.**

177 Per translationem vacat prima Ecclesia, ne aliàs esset sponsus duarum, C. 2. h. t. non solum post adeptam secundæ possessionem, sed etiam ante illam: Nam supposito consensu translati, statim ac Pontifex eum solvit à vinculo primæ Ecclesiæ, hæc vacans intelligitur, & ex tunc Episcopus nec per se, nec per Vicarium potest jurisdictionem exercere, ut tenent *Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 13. n. 80. Greg. Lop. in l. 3. tit. 16. p. 1. contra Garc. de Benef. p. 11. cap. 6. & alios. Imò in his Indiæ Provincis, quando Episcopus accepto Regio Rescripto suæ translationis iter arripit ad secundam Ecclesiam gubernandam, etiam si ignoret, an Pontifex eum à vinculo primæ Ecclesiæ solverit, tenent plures, primam Ecclesiam vacare per renuntiationem saltem tacitam translati, quod alii negant: & hinc plures lites, & discordiæ originem habuerunt. Ideo optimum erit consilium, si Episcopus translatus committat gubernationem Capitulo, ut hoc eligat Vicarium. Nam hoc modo, vel facultate Episcopi, vel Capituli securis exercetur jurisdictio, & nullitati actuum obviabitur, hocque seminarium discordiarum, & litium de medio tolletur magno cum commodo fidelium, & constantiarum. Latè *Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 13. ex n. 72. Villar. de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 14. ex n. 14.**

178 Prælati Episcopo inferiores exempti indiget licentia Papæ, cui immediate subjiciuntur, ut transferantur. Non exempti indigent autoritate sui immediati Superioris, vel Episcopi, vel Capituli Sedevacante, C. 8. 18. q. 2. Et etiam Episcopi Diocesis, in qua sita est Ecclesia, ad quam transferuntur, C. 4. de Renuntiar. C. fin. de Cleric. pereg. non requiritur licentia Papæ, quia non intercedit conjugium spirituale inter ipsos, & Ecclesias eo modo, quo inter Episcopos, & suas Ecclesias, sed alio modo adhuc latiori, in quo sensu Ecclesiæ viduata dicuntur C. 41. de Elect. solum enim Episcopi de jure communi

suis

suis Ecclesiis desponsantur per annulum, C. 15. de Vir. & honest. Et ibid. DD. Parochi de una Parochia ad aliam de licentia Episcopi transire possunt, C. 37. q. 1. l. 35. tit. 6. p. 1.

TIT. VIII.

De Autoritate, & usu Pallii.

179 **A**rchiepiscopi, & Patriarchæ, licet sint consecrati, plenitudinem officii sui non consequuntur, donec pallium recipiant à S. Pontifice. Et licet post confirmationem, & consecrationem Metropolitanam dicantur, Archiepiscopi non possunt appellari, C. 3. h. t. debentque pallium petere vel per se, vel per alium habentem speciale mandatum, & quidem non semel tantum, sed sæpius, & solitius, C. 2. D. 100. instantè, scilicet instantius, & instantissimè debentque hoc fieri intra tres menses à die consecrationis, aut confirmationis, si jam consecratus erat. Si ultra tres menses, ejus culpa Ecclesia sit viduata consistat, communionem est privandus, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non differat. Si ultra quinque menses ejus culpa Ecclesia sit viduata, neque ibi neque alibi, consecrationis donum percipiat: Imò Metropolitanam sui iudicio cedat, C. 1. D. 100. debentque talis Archiepiscopus ante pallii receptionem juramentum fidelitatis, & obedientiæ præstare, C. 4. D. 100. C. 4. de Election. nec criminis objectione differtur pallii traditio: nisi juret objiciens crimen, se non calumniosè id agere, & se ad talionis, vel aliam extraordinariam poenam obliguet, atque probationes in promptu habeat, id est, quod intra duos menses à die collationis numerandos probet id, quod objicit. Extr. un. h. t. int. com.

180 Pallium conficitur ex lana duorum agnorum, qui quotannis offeruntur à Religiosis S. Agnetis in ejus festo, & altari, quos recipiunt Canonici Lateranenses usque ad tonsionis tempus, & tunc eos Pontificis subdiaconis tradunt: & ex eorum vellere etiam aliam admittendo lanam fit fascia quatuor digitorum in modum torquus, coronæ, vel circuli, quæ circuit humeros, & pectus, & duas lineas ab utraque parte ante, & retro pendentes habet, continet insuper quatuor Cruces, ante, & retro, à dextris, & à sinistris positas. Hæ Cruces juxta ali-

quos sunt rubræ, juxta alios, vel rubræ, vel nigræ. Sed Didacus Ximen. in Lexa Eccles. v. Pallium, ait has Cruces, nunc esse nigras, licet antiquitus essent rubræ. Et sic censet universalitèr practicari. Etiam tres acus auræ infinguntur lapidem preciosum habentes. Scilicet, ante pectus, supra sinistrum humerum, & post tergum. Hodie debet pallium esse ex lana, non ex alia materia contextum, licet tempore S. Gregorii ex bysso conficeretur: quia ut Clem. II. tradens pallium Joanni Salernano Episcopo dixit: in quo, quia de vellere ovis est, intelligi, te esse Pastorem. Etiam vocatur *superhumeralis*, & juxta Alcuinum respondet Rationali Pontificis Judæorum. Sed certè pallium respondet vestimento S. Sacerdotis, quod ab Hebræis *Ephod* à Grecis *Eponis*, à Latinis *superhumeralis* vocatur. Vid. Gonz. in C. 1. h. t. Suppl. Moreri. Et Diction. de Treo. v. Pallium. Dicitur, sumi de corpore Divi Petri, in C. 4. de Election. quia vel benedicitur à Papa in altari D. Petri, vel quia significat quasi particulam potestatis Ecclesiasticæ, quæ in Divo Petro, & ejus successoribus residet. Vel quia datur à Rom. Pontifice Divi Petri successori, à quo provenit hæc potestas dandi pallium: Nam jam hodie cessavit privilegium conferendi pallium suis suffraganeis concessum à Pontifice quatuor Patriarchis, videlicet, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, & Hierosolymitano, C. 23. de Privileg. ut clarè habetur in L. 5. tit. 5. p. 1. ibi: *E solamante el Papa ha poderio de dar el Palió à los Patriarcas, è à los Primados, è à los Arzobispos.*

181 Pallio utuntur Romani Pontifices, C. 4. h. t. Et quidem à primis Ecclesiæ nascentis temporibus. Alii antiquitèr solum ex speciali concessione Pontificis eo utebantur. Sic D. Petrus illud Materno Episcopo Treverensi misit. S. Linus, & alii alii, quousque cepit indifferenter Archiepiscopis concedi. Nunc ergo de jure communi conceditur Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis omnibus. Et ex privilegio conceditur Episcopis Ostiensi, Papiensi, Lucensi, Bambergensi, Dolensi, & Quinque Ecclesiensi, Azor. Cr. alii, L. 16. tit. 5. part. 1. ibi: *E puede (el Obispo) facer todas las cosas, que face el Arzobispo, fueras que non debe tener el Palió, como el, si non se lo oviesse otorgado el Papa por su privilegio.* Solutus R. Pontifex semper, & ubique in Missarum solemnibus pallio utitur: quia assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis,

tis, quæ per pallium significatur, C. 4. h. t. Cæteri verò, qui solum in partem sollicitudinis Pastoralis sunt vocati, nec semper, nec ubique pallio utuntur. Solum enim eo uti possunt intra, non extra suam Provinciam, C. 1. C. 5. h. t. nec consuetudine, sed solum ex privilegio Apostolico possunt uti pallio extra Provinciam, C. 5. h. t. & tunc requiritur consensus Episcopi, vel Archiepiscopi illius Diocesis, C. 5. h. t. Trid. sess. 6. de Ref. cap. 5. Olim ex consuetudine omnes Archiepiscopi Hispaniæ etiam extra Provinciam pallio utebantur: quod ab Innoc. III. fuit prohibitum, & tantum concessum, ut singulare privilegium Archiepiscopo Compostellano, C. 5. h. t. in loco tamen exempto potest Archiepiscopus, etiam proprio illius loci Rectore invito, pallio uti, & Pontificalia celebrare, Cl. 2. de Privileg. quia talis celebratio respicit dignitatem, & honorem Archiepiscopi, sine administratione jurisdictionis, quod ubique Episcopi in sua Diocesi, Archiepiscopis in sua Provincia permittitur.

182 Dies, quibus pallio uti possunt, juxta Gloss. in C. 4. h. t. sunt dies Nativitatis D. S. Joannis Evangelistæ, S. Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominicæ Palmarum, Jovis, & Sabbati Sancti, tres dies Resurrectionis, & Pentecostes; S. Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum: Etiam eo uti possunt in tribus Festivitatibus B. V. Mariæ, S. Michaelis, in Festivitate Omnium Sanctorum, in Dedicatione Ecclesiarum, in principalioribus festivitatibus ejus Ecclesiæ, in ordinationibus Clericorum, in consecrationibus Episcoporum, in die Anniversarii suæ consecrationis, & in aliis juxta concessionis tenorem. His enim diebus, licet possint, non tamen tenentur Archiepiscopi cum pallio celebrare, si scilicet privatim, & sine Pontificalibus soleant celebrare. Nam tantum in Missarum solemnibus eo possunt uti, C. 4. h. t. C. 6. D. 100. in Synodo etiam possunt pallio uti, minimè verò in Missis Defunctorum, C. fin. h. t. nec extra Ecclesiam, v. g. si in domo privata, vel tentorio celebrent, Gl. Marg. in C. 6. h. t. Quando Pontifex mittit pallium, dicit: *Tradimus tibi pallium, ut eo intra Ecclesiam tuam utaris, quod ita intelligitur: videlicet intra quamlibet Ecclesiam Provincie tibi commissæ. Si verò te sacris indutum vestibus Ecclesiam processionaliter, vel alio modo exire contingerit, tunc tuo pallio minimè uti debes.* C. 1. h. t.

183 Ante pallii receptionem non sequuntur Archiepiscopi plenitudinem potestatis: nam licet per pallium nihil addatur consecrationi, tamen executio officii committitur, in quo stat plenitudo potestatis, C. 3. h. t. Hinc non possunt exercere actus proprios muneris Archiepiscopalis, quales sunt visitare Provinciam, convocare Concilium Provinciale: nec itidem possunt exercere actus majores Ordinis Episcopalis, quos debent Pontificalibus induti, exercere; ut sunt consecratio Episcoporum, benedictio Abbatum, & Virginum, ordinatio Clericorum, dedicatio Basilicarum, & confectio chrismatis: Cum istos actus non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur, C. 28. §. 1. de elect. si tamen Archiepiscopus, cum sit consecratus hæc exerceat, etiam sine pallio, valida quidem, illicita tamen erunt: nam solum fient contra Legem prohibentem, non contra irritantem, Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 7. n. 17. Gonz. in C. 3. h. t. n. 7. Possunt tamen ante pallii receptionem exercere actus communes jurisdictionis Episcopalis: quales sunt cognoscere, & delegare causas, committere alii Episcopo potestatem consecrandi Episcopos, benedicere paramenta, Calices, cæmeterium: aliosque actus facere, qui extra Missam cum stola tantum peragi possunt. Imò extra suam Provinciam actus majores Ordinis Episcopalis exercere, si ab Episcopo invitentur; nam in hoc casu non ut Archiepiscopi, sed ut Episcopi tales actus exercent, C. 11. C. 28. §. 1. de Election.

184 Pallium ad eò personale est, ut personam non egrediatur; nec potest Archiepiscopus alteri Archiepiscopo commutare pallium, sed cum eo debet sepeliri, C. 2. h. t. si talis Archiepiscopus in Episcopum alterius Ecclesiæ promoveatur, nequit ibi pallio uti; ex S. Congress. Rituum 16. Oct. 1604. apud Ximen. lxxii. Eccles. v. Pallium. Imò si ad alium Archiepiscopatum translatur, non potest pallio antiquo uti; sed debet aliud petere, & expectare, C. 4. de Post. Prælat. quia conceditur personæ cum restrictione ad locum, ac proindè, si renuntiat loco, seu Ecclesiæ usum pallii amittit, C. 9. de Renunt. Translatus ergo ad alium Archiepiscopatum debet primum pallium secum ferre, & cum eo sepeliri. Ita ut vel utroque induatur, vel potius pallio posteriori accepto, & alterum corpori, vel capiti Archiepiscopi in sepulcro subjiciatur. Licet im-

impositio palli regulariter alicui Episcopo committitur: tamen in his Indiarum partibus solet committi aliquibus Dignitatibus, ut vitetur inconveniens, quod contingit defacto, quando Illustr. D. D. Ferdinandus Arias Ugarte, fuit factus Archiepiscopus Limensis: nam fuit necessarium, quod Panamensis Episcopus, cui traditio pallii erat commissa, Limam peteret: in quo itinere conficiendo dimensae fuerunt 800. leuca, & decem mille ducatus fuerunt expensi. Teste Villaroel de Regim. Eccles. p. 1. q. 4. art. 2. ex n. 50.

TIT. IX.

De Renuntiatione.

183 **RENUNTIATIO**, quae etiam vocari solet *resignatio*, *abdicatione*, *remissio*, *cessio*, & *ejuratio*, est libera, ac spontanea dimissio juris, quod quis habet in Dignitate, vel beneficio Ecclesiastico, coram competente superiori, ex causa legitima, facta. Potestque fieri, vel tacite, vel expresse. Tacite quis renuntiat, quando apponit actum de jure accomodatum ad renuntiandum; arg. C. 3. h. t. nisi expresse protestetur, se nolle renuntiare; *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 15. ex n. 40.* quoad effectum renuntiationis, idem est, si apponat quis actum incompatibilem cum beneficio, v. g. vel cui à jure annexa sit privatio, v. g. si quis pacificam possessionem beneficii cum priori incompatibilis consequatur, C. 28. de *Præbend.* vel si post beneficium curatum obtentum non ordinetur intra annum in Sacerdotem, C. 14. de *Elect.* in 6. vel si quis patiarum suum beneficium ab alio per triennium possideri: vel si solemniter religionem profiteatur, C. 4. de *Regul.* in 6. vel si in minoribus constitutus matrimonium contrahat, C. 1. e. 3. de *Cleric. conjug.* *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 15. ex n. 37.* Expresse fit renuntiatio, quando quis verbis expressis coram superiori renuntiat. Et de hac renuntiatione sermo est in presenti. Et alia fit simpliciter, & absolute in manu Superioris, sine ulla pactione, vel modo: Alia fit sub aliqua conditione, vel modo: v. g. causa permutationis, ad permutandum, scilicet, proprium beneficium cum beneficio alterius, vel in favorem certae personae, vel cum fructum, & expensarum reservatione, vel reservando sibi regressum, ingressum, vel accessum.

186 Renuntiatio exorta dolo, vel

fraude versante circa ipsius substantiam, non valet, ut potest facta sine consensu: si quidem errantis nullus consensus est, L. 15. ff. de *Jurisdic.* si non circa substantiam, sed solum circa accidentia dolus versetur, valet quia libera est, quoad substantiam; debet tamen per Judicem rescindi, quia nemini sua fraus patrocinari debet, C. 15. de *Præbend.* si gravi metu, & in juste sit exorta, licet Jure Naturali valeat, quia metus non tollit libertatem, L. 21. §. 5. ff. *Quod metus caus. junct.* Gloss. jure tamen Possitivo, saltem est rescindenda, C. 5. h. t. e. 3. c. 4. de *His, qua vi;* *Barb. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 15. n. 116.* Renuntiatio verò facta, quando renunciatus est captus, & detentus à personis Secularibus, & ad renuntiandum compulsus est, nullius omnino est firmitatis, Cl. 2. de *Poenis.*

187 Quilibet, si non prohibeatur, potest renuntiare suo juri, vel beneficio, C. 16. c. 23. de *Regular.* L. 29. C. de *Pañis*, dum in alterius præjudicium non cedat renuntiatio. Et quidem R. Pontifex nulla spectata, nec Concilii Generalis licentia, potest Pontificatui renuntiare. Ut licite tamen fiat, requiritur causa justa, v. g. propriae salutis, vel boni universalis Ecclesiae, cui regenda minus idoneus invenitur: aliàs peccaret, temere solvendo vinculum artissimum, quo est universalis Ecclesiae obligatus: Et sic defacto renuntiat Pontificatui *Celestinus V. qui & omnium concordia Consilio, & assensu, auctoritate Apostolica statuit, & decrevit, R. Pontificem posse liberè resignare, C. 1. h. t. in 6.* quam Constitutionem postea promulgavit *Bonifac. VIII.* qui ipsi successit, ut ex ipsa Constitutione constat, & probant *Gonz. in C. 4. h. t. n. 3. Hieronym. Gonz. in Reg. 8. Cancell. Gloss. Proem. §. 5. ex n. 16. & alii* contra aliquos, nimis irreverenter loquentes de R. Pontifice *Bonifacio VIII.* Episcopus etiam, potest Episcopatu renuntiare: sed non licet ei Episcopatum propria auctoritate deserere, nisi accedat R. Pontificis licentia C. 1. h. t. quia nullus alius potest solvere vinculum, quo Episcopus suae Ecclesiae adstringitur, C. 2. de *Translat. Episc.* Potestque hac renuntiatio fieri per Procuratorem, cum speciali, quidem mandato: & ipse debet ad unguem servare mandatum & alter factum irritum erit, nisi mandantis melior conditio fiat, C. 1. de *Procurat.* in 6. *Junct. L. 5. ff. Mandat. Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 15. n. 86.* quod si Procurator resignet post revocatum mandatum, & antequam revocatio intimaretur ipsi, vel

superiori, valet resignatio, nisi forte per ipsos, aut alios malitiosè factum fuerit, quominus ad eos, vel eorum alterum ante cessionem poterit revocatio pervenisse, Cl. un. h. t. quia speciale est in matrimonio, quod contractum post revocatum procuratorem, licet tam ipse procurator, quam ea cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequit, C. fin. de *Procurat.* in 6.

188 Renuntiare nequeunt, furiosi, mente capti; arg. C. 5. h. t. Beneficiatus respectus illius beneficii, ad cuius titulum ordinatus est, nisi de hoc fiat mentio, *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 2.* & aliunde ipse habeat congruam sustentationem. Ut ergo valeat renuntiatio talis beneficii, debet renunciatus aliunde habere, unde sustentetur, & insuper in renuntiatione exprimere, se esse ad titulum illius beneficii ordinatum; aliàs erit invalida, ut potest facta contra formam, & Decretum irritans Tridentini, *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 19. ex n. 33. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 56.* Et à fortiori erit invalida renuntiatio, si beneficiatus non habeat, unde sustentetur, quantumvis ad titulum illius non sit ordinatus. Ex *Const. S. Pii V. Quanta, An. 1568. Lacroix lib. 4. n. 983.* Nec sine expressione qualitatis beneficii potest renunciari beneficium linitum Collegio Clericorum, Monasterio Regularium, vel Seminario studiosorum. Nec potest renunciari beneficium litigiosum in favorem alicujus tertii, bene verò in favorem colligantis, C. 2. *Ut lite pendet.* in 6. Nec qui habet beneficium in commendam potest ei renuntiare: qui solum habet administrationem, non jus, nec titulum, ac proinde illud alteri resignare non valet. Simpliciter tamen potest juri, quod habet renuntiare: sicut hoc modo possunt resignari beneficia patronata, electiva, vel reservata S. Pontifici, quia hoc modo nulli præjudicium generatur: minime verò in favorem tertii, vel ex causa permutationis, nisi accedente consensu patroni, Electorum, vel Papae, vel eorum, quorum interest, quia eorum jus læditur: possuntque tales ad resignationem alterè factam rescindendam agere, *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 15. ex n. 142.* pensio, quæ proprie non est beneficium, sed onus temporale, quod etiam Laico conferri potest, renuntiare simpliciter valet: in favorem verò tertii non aliter, quam Superioris accedente licen-

Tom. I.

tia Clericus impubes non potest beneficium renuntiare nisi accedente Tutoris auctoritate, & Decreto Judicis; arg. ex in C. 2. de *Etate, & qualitat. C. fin. de Juc.* in 6. Major verò 14. annis, licet minor 25. etiam sine Curatore potest beneficium renuntiare, *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 15. n. 134.* quia in causis spiritualibus potest per se agere, & pro majori habetur, C. fin. de *Judic.* in 6. Et hac ratione si renuntiatio beneficii, & alteri collato post talem collationem, se dicat læsum, non restituitur in integrum, & *Garc. de benef. p. 11. cap. 3. n. 61. Castropal. tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. n. 13.* contra aliquos. Infirmus, licet de jure communi posset beneficium resignare; arg. C. 14. h. t. si morte naturali moriatur intra viginti dies à die factæ resignationis, talis resignatio prohibetur per Reg. Cancell. de Infirmis, ut sic fraudibus resignantium occurratur, arg. C. 2. h. t. Et in odium successionis hæreditariæ in rebus Ecclesiasticis, C. 7. C. 11. de *Filiis Presbyter.* sive simpliciter, sive in favorem, sive in manibus Ordinarum fiat; *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 15. n. 127.* Nec sufficit diem esse inchoatum, sed debent esse 20. dies naturaliter completi, qui currunt à momento ad momentum, L. 3. §. ff. de *Minor.* à die præstiti consensus à resignante coram legitimo Superiore, prædictam resignationem acceptante. V. g. si quis resignavit die 1. Martii hora 8. ante Meridiem, & decessit die 21. eadem hora, tenet resignatio; si antea decessit, non tenet resignatio, sed beneficium vacat per mortem beneficiati, quia verò moritur intra 20. dies resignationis factæ, *Castropal. tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. ex n. 10. alios citans.* Hodie in Regula Cancellariæ dicitur. *Eriam vigore supplicationis, dum esset sanus signata:* ac proinde de quocumque, etiam sano resignante intelligitur, & practica- tur, *Castropal. n. 4.*

189 Criminosus, qui non est ipso jure privatus, sed est privandus per sententiam, potest renuntiare, simpliciter permutare, & resignare beneficium in alterius favorem. 1. etiamsi sciat, alium illud impetrasse in evanescere privationis, & impetrationem esse præsentatam. 2. etiamsi ipse sit jam accusatus: imo, etiamsi contra ipsum sit lata privationis sententia, si ab ea legitime sit appellatum. Nam per appellationem suspenditur sententia, etiamsi postea male appellatum pronuntietur. Nec est necesse in resignatione facere mentionem criminis, litis, aut privationis,

nis,

nis cum hoc nullo jure caveatur. De quibus latè *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. ex n. 62. Lacr. lib. 4. n. 985.* Si verò sententia privationis beneficii transit in auctoritatem rei judicatur, non potest fieri renuntiatio, maximè in alterius favorem. Nec ille, qui sententia fuit beneficio privatus, nec ille, qui in beneficium intrusus est sine titulo Canonico renuntiare valet: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure dare, *C. 5. de Jur. Patron. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 139.* idem dicendum est de eo, qui ipso jure beneficio privatus est, vel ob crimen, vel ob professionem Religiosam, vel ob aliud beneficium incompatible, *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 124. Lacroix lib. 4. n. 986.* contra alios. Potest beneficiatus, etiamsi senex sit, resignare: imò etiamsi beneficium statim sic vacaturum. Sic ille, qui cum non esset Sacerdos obtinuit beneficium parochiale, & intra annum debeatur ordinari, potest ultima die termini beneficium renuntiare: quia cum adhuc sit quasi Dominus ejus, de illo disponendo, utitur suo jure, *arg. L. 21. C. Mandat. Similiter potest quis beneficium resignare, cujus possessionem non est adhuc adeptus, Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 131.* Novitius non potest hodie, sicut poterat antiquitus, intra annum Novitiatum beneficium renuntiare; *C. 3. h. t. C. 4. eod. in 6.* Sed debet fieri renuntiatio juxta formam, *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6.* alias non satis provisum esset, ne extorqueatur professio metu sustentationis defutura, *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 12. Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 38.* contra *Castropal. tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. num. 15. Barbos. & alios.*

190 Beneficium Canonice obtentum, quodcumque sit non potest renuntari à beneficiario, propria auctoritate, sed est necessarium, licentiam, & consensum proprii Episcopi habere, *C. 4. h. t.* cum sine ejus auctoritate non possit acquiri: ac proinde locum debet habere regula juris, quæ dicit: *Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur, C. 1. de Reg. jur. L. 35. ff. eod.* Si Clericus sit subiectus Prælato inferiori Episcopo non debet beneficium sine sui Prælati licentia renuntiare, *Gl. in C. 4. h. t. v. in consulto:* potest tamen renuntari sine hujusmodi auctoritate beneficium, ad quod Clericus solum habet jus ad rem, ut electus, vel præsentatus, *C. 26. de Elect. in 6. arg. C. 6. h. t.* vel si beneficium sit litigiosum:

talis enim renuntiatio, cum per eam recedatur à lite, est favorabilis, *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 249. Borbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 3. & ex 28.* illi, qui vult ingredi Religionem, sufficit licentiam petere ab Episcopo ad renuntiandum, quamvis eam non obtineat; *arg. C. 18. de Regular. Clericus invalidè coram Laico resignat, & si nullo metu hoc faciat, spoliandus est beneficio, C. 8. h. t.* saltem in poemam delicti commissi in renuntiando coram Laico, *Gonz. in C. 4. h. t. n. 7.* Si coram Ecclesiastico resignet, sed non legitimo Superiori, valet, quoad ipsum resignantem, in vim pacti, de non repetendo; *arg. L. 27. §. pen. ff. de Pañis:* non verò, quoad legitimum Superiorem: quia alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri, *L. 74. ff. de Reg. jur.* estque in arbitrio legitimi Superioris renuntiationem acceptare, & alteri conferre beneficium, vel cogere resignantem revertere ad beneficium, quod propria auctoritate dimisserat, *C. 19. 7. q. 1. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 16.*

191 Resignatio pura, & simplex fieri debet in manibus illius Superioris, qui potest instituire, & destituere, seu deponere, *Gl. in Clem. un. h. t. v. Manibus.* Sic possunt admittre resignationes R. Pontificis in tota Ecclesia: Cardinalis Legatus à Latere in sua Provincia. Secus verò Legatus non Cardinalis sine speciali mandato, *C. 1. de Offic. Legat. in 6.* Episcopi in sua Diocesi, *C. 4. h. t. C. 3. de Instr. Capitulum, Sedevacante, C. 14. de Major. & obed.* & qui hoc ex privilegio habent. Nequit verò Vicarius Generalis resignationem admittre, quia non valet Clericum à beneficio amovere, *C. 2. de Offic. Vicar. in 6.* nisi habeat speciale mandatum, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 127.* Episcopus potest recipere resignationes beneficiorum suæ Diocesis, etiam in Curia, non tamen potest ea conferre, cum per resignationem censeantur in Curia vacare, ac proinde ad R. Pontificem spectat eorum collatio. Etiam coram Episcopo possunt resignari beneficia Sedi Apostolica reservata, quia reservatio solum afficit beneficium, quod potestatem conferendi, non quoad potestatem renuntiandi, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 135.* Resignatio ex causa permutationis, quando permutatio fit inter ipsos resignantes, fieri valet coram illo, qui potest resignationes puras admittre, *C. un. de Rex. permut. in 6.* Renuntiatio conditionalis in favorem

confer-

certe personæ, etiam absque ulla reservatione pensionis non potest fieri coram Ordinario: cum omnino pactio in spiritualibus prohibeatur, ut speciem simoniae referens, *C. 5. de Rex. permut. C. fin. de Partis,* licet verè possit aliquando à simonia excusari, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. c. 15. ex n. 53. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 35. n. 6. & com. DD. contra Covar. 1. Var. cap. 5. n. 5. Sol. de Just. l. 9. q. 7.* solum ergo coram R. Pontifice possunt fieri resignationes conditionales, scilicet in favorem certæ personæ; *arg. C. 1. de Concos. grabend. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 35. n. 6.* vel cum reservatione pensionis; *arg. C. 8. de Præb. vel sub conditione regressus,* hoc est, ut renuntians possit ad beneficium regredi, vel *ingressus,* hoc est, si resignaret ante possessionem, ita ut mortuo resignatario, propria auctoritate posset renuntians ingredi possessionem illius: vel *accessus,* hoc est, si puer resignaret, ut cum haberet ætatem adeat beneficium, *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 7.* Etiam reservantur S. Pontifici resignationes triangulares, aut quadrangulares, v. g. si Titius beneficium resignet ea conditione, ut Cajo conferatur, Cajo suum beneficium resignet ea conditione, ut Sempronio conferatur, & Sempronius resignet suum beneficium ut Titio conferatur, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15.*

192 Cum ille, qui sub conditione resignat, non intendat dimittere beneficium, nisi adimpleatur conditio; inferior Papa, cum non possit conditionem adimplere, non potest resignationem admittre, adhuc simpliciter conditione rejecta; *arg. L. 55. ff. de Condit. & demonstr. neque per talem renuntiationem abdicatur jus à resignante; imò pro infecta habetur ipsa resignatio, si non acceptatur cum dicta qualitate, & conditione; arg. C. 20. de Præb. in 6. Cl. un. de Rex. permut. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 46.* Hinc si beneficium alteri, quam ei in cujus favorem fuit renuntiatum, conferatur: tale beneficium non censetur vacasse: quia ommissa fuit conditio adjecta, & poterit resignans continuare possessionem ex antiquo titulo. Similiter non vacat, si resignatario non conferatur in effectu beneficium; vel quia sit excommunicatus, vel quia nolit illud acceptare. Similiter, si resignans reservavit sibi certam pensionem fructuum, & hæc non tribuatur ipsi, vel tribuatur in minori quantitate, non tenet resignatio ex defectu conditionis; ac proinde nec beneficium vacat; *Barbos. de Tom. I.*

Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 72. Potest tamen simpliciter resignans commendare Episcopo, non per modum pacti, aliquam personam, & etiam pro ea deprecari, & quamvis ipsi conferatur beneficium, nulla committitur simonia; *C. 43. de Simon.* quòd etiam hodie habet locum post *Constit. S. Pii V. Quanta,* ubi tantum permittit fieri apud Ordinarios simpliciter renuntiationes, ut ut nec nutu, nec verbo, nec signo in alterius favorem fiant. Nam solum prohibuit intentionem expressam, vel tacitam deductam in conventionem; *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. & ex n. 59.*

193 Causæ, ob quas Episcopi possunt petere, & Papa solet concedere licentiam Episcopatu renuntiandi, sunt sex, quas significat, *Gloss. in C. 10. h. t.* his verbis:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis. Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

1. Ergo fit renuntiatio, quando Episcopus non potest exequi suum officium, vel si ita debilis sit, ut in sua Ecclesia nequeat sine mortis periculo manere, *C. 9. h. t.* Ei verò, qui senio confectus est, si aliunde utillius, & necessarius Ecclesie sit, non datur facultas renuntiandi, sed potius ei est dandus coadjutor, *C. 1. h. t. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 90. 2.* Quando Episcopus ignorat necessaria ad officium, & regimen Ecclesie. 3. Quando crimen impedit executionem officii, etiam post peractam poenitentiam, & inducit ipso jure infamiam. 4. Quando Episcopus habet irregularitatem, vel quæ indispensabilis est, vel non facile dispensabilis, ut ea quæ procedit ex bigamia, damnato coitu, vel homicidio voluntario. 5. Quando plebs contradicit illi irrevocabiliter, hoc est, sine spe emendationis. Nam à Apostoli, Judæis adversantibus, ab eis discesserunt, & se converterunt ad Gentes, *Act. 13. 6.* Quando grave scandalum pusillorum, scilicet, ex ignorantia, vel infirmitate Populi oritur: secus si sit Pharisæicum, seu ex malitia Populi proveniens: hoc enim non debet caveri. *Si propter alias causas, (ait Text. in C. 10. h. t.) cessionem affectas, non est in hoc tibi postulanti favendum.* Ne quidem ut Episcopus fiat religiosus; *Quia factius indulgetur, ut ascendat Monachus ad Prælatum, quam Præsul ad Monachatum descendat,* etiamsi religionem novisset. Si verò antequam fieret Episcopus votum religionem ingrediendi emisit, tenetur Episcopatum resignare, & votum, religionem ingrediendo, implere, quod si postea in

Episcopum eligeretur, posset Episcopatum acceptare, C. 10. de Voto. Sed cum Pontifex possit in quacumque dispositione canonica dispensare, valet utique ex aliis iustis causis renuntiationis admittere; arg. C. 4. de Conces. Præbend.

194. Ut beneficia minora renuntientur, sive simplicia, sive curata, minores cause sufficiunt: ut morbus, senium, vitium corporis, v. gr. si beneficiarius sit cæcus, claudus, vel mutus: & aliæ causæ hujusmodi; *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 99.* quin imò, & aliquando potest quis compelli, ut beneficio, vel Prælatu- ræ renuntiet, si sit reus criminis, ob quod poterat illis privari, vel si laboret irregularitate difficilè dispensabili; *Barbos. de Jur. Eccles. l. 3. cap. 15. num. 92.* vel si alio modo non potest tolli scandala pusillorum: imò, & lex charitatis illum renuntiare obligabit. Resignationes beneficiorum, sive sint curata, sive simplicia, Regularia, vel Secularia, consistorialibus exceptis, hoc est, quæ confertur in Consistorio, ut Archiepiscopus, Episcopus, &c. debent fieri publicari in loco, & tempore præscriptis à Greg. XIII. in *Const. Humano*, ibi: *De beneficiis, quæ in manibus Ordinariarum, etiam Cardinalium: extra Romanam Curiam resignari, etiam ex causa permutatio- nis contingerit, ipsi intra mensem negotium uniuersum admissionis, vel rejectionis hujusmodi, etsi per eos facienda erit, provisionis resignati beneficii, juxta Apostolica, & alias Canonice Sanctiones omnino absolvant, & qui sic provisus fuerit, intra tres menses à die sibi factæ provisionis illam publicet, & possessionem beneficii capiat modo, & forma supradictis; Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 113. & n. 187. & seq. sed hæc Constitutio, vix est in usu, ut testatur, *Gare. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 289.**

195. Ex quo renuntiatio simplex, & pura est admissa, vacat beneficium; arg. C. 6. de rescript. in 6. nec potest amplius repeti beneficium, C. 8. 7. q. 1. C. 3. h. t. nec beneficiarius potest amplius beneficii possessionem retinere, nec potest fructus percipere, cum careat titulo legitimo, sed debet fructus, si quos percipit resigna- rio restituere, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 150.* ac consequenter non tenetur resignans horas ob beneficium recitare; arg. C. 60. de Apellat. nisi alio titulo obligetur. Nec tenetur solvere pensio- nem, vel alia onera beneficii: nam ea ut quid accessorium, sequuntur fructus beneficii, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap.*

15 n. 148. Si post renuntiationem, quis spoliatur beneficio, non debet restitui, si ante resignationem fuit spoliatus, & postea renuntiavit, debet restitui ad possessionem, à qua per spoliatum fuit dejectus, C. 2. de Rest. spoliat. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 66.* Denique sic renuntians amittit omne jus proprietatis, & possessionis, quod in beneficio habebat; sed licet non possit illud ex vi prioris tituli repetere, C. 3. c. 6. h. t. potest tamen ex novo titulo repetere, v. g. si de novo ei idem beneficium conferatur, etiamsi jurasset amplius non peteret illud beneficium, C. 2. h. t. nam tale juramentum non extenditur ad novum titulum, *Gonz. in C. 2. h. t.* Ille, qui à superiori petit, & obtinuit licentiam renuntiandi; ne illudatur superior, potest cogi renuntiare: secus si non obtinuit, licet petisset, C. 12. h. t. Similiter, qui nuntium misit ad renuntiandum Abbati, v. g. si licentia adhuc non sit impetrata, potest poenitere, C. 14. h. t. qui procuratorem constituit ad renuntiandum potest illum revocare, *Cl. un. h. t.* Et quamvis hæc de jure communi procedant tamen hodie attenda communi praxi, ille, qui licentiam renuntiandi petiit, potest poenitere, donec consensus fuerit extensus in Camera, vel Cancellaria; *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. num. 119. Gonz. in C. 12. h. t. n. 6. & alii;* adeo, ut quamvis resignatio in favorem sit admissa apud Pontificem, signata per fiat, ut petitur, & registrata: etiamsi resignans juraverit, se non revocaturum, datur locus poenitentia. Si vero resignatarius cum consensu Papæ acceptavit, & jus suum alteri cessit, non potest resignans poenitere. Similiter, si Litus, v. gr. renuntiavit in favorem Caii, pro quo jam fuit expeditæ litteræ in forma gratiosa, non potest revocari renuntiatio. Si Pontifex resignationem admisit, & resignatarius eam acceptaverit, & moriatur, nondum justificatis litteris in forma dignum: aliqui tenent, beneficium vacare; sed cum resignatio non sit sortita effectum non censetur, resignantem, se suo jure abdicasse, quia non fuit verificata conditio; *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 71. Laer. lib. 4. n. 957. & 971.*

196. In nostra Hispania, & præcipue in Indiis, solent vendi aliqua officia publica, quæ immediatè non habent administrationem justitiæ, ut Decurionatus, *Hispanæ Regimientos*, & alia hujusmodi, & eorum pretium Regio ætario applicatur; illi, qui talia officia emunt possunt ea in fa-

favorem tertii resignare, dummodo resignatarius non sit minor, nec inhabilis: imò debet esse habilis ad officium exercendum. Et resignans debet vivere viginti integros dies post factam renuntiationem, & resignatarius debet intra septuaginta dies à renuntiatione facta eam Præregibus, vel Præsidibus Regiarum Auditoriarum præsentare, & confirmationem in Supremo Indiarum Consilio obtinere intra sex annos, qui pro renuntiationibus in his Insulis factis, sunt assignati. Renuntiatio debet regularitè in publico instrumento confici, nec potest probari per testes. In prima renuntiatione debet tribui Regi dimidia pars pretii dicti officii, in ulterioribus renuntiationibus tertia pars tributur. Quod si renuntians moriatur intra 20. dies à Lege præscriptos, vel resignatarius renuntiationem præsentet, elapsis septuaginta diebus, officium creditur beneficio Regis vacare: ac proinde ejus beneficio venditur, quin renuntianti, nec resignatario aliquid detur. Si renuntians vult officium vendere minori pretio in fraudem fisci; Regius Fiscalis petet, quod illud officium nomine Regis vendatur, & renuntianti tribuetur dimidia pars pretii, si est prima renuntiatio, vel tertia, in ulterioribus renuntiationibus; sed quidem non pretii, in quo venditur nomine Regis, sed tantum dimidia, vel tertia pars illius pretii, in quo ipse dolose vendere volebat, ne ex sua fraude commodum reportet. Quæ omnia latè constat ex L. 8. tit. 2. lib. 7. R. C. & ibid. *Acro. Et ex tit. 20. & 21. lib. 8. R. Ind. Bobadill. Polit. lib. 3. cap. 8. ex n. 285. Solorz. de Jur. Ind. t. 2. lib. 5. cap. un. ex n. 99. Escal. Gazofil. L. 2. part. 2. cap. 10.*

TIT. X. De Supplenda negligentia Prælatorum.

197. Negligentia Prælatorum inferiorum in beneficiis conferendis, sive illi Prælati sint Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Archidiaconi, vel etiam Parochus, sive Capitulum, Collegium, seu Congregatio jurisdictionem Ecclesiasticam exercens, suppletur per Superiores Prælatos gradatim, ne beneficia diu vacent, nec jura eorum sint in incerto; arg. C. 41. de Elect. Qui ergo non

eligit, vel instituit intra tempus præfixum à jure, impedimento legitimo cessante, C. 5. de Conces. Præb. vel indignum eligit ad beneficium, privatur pro ea vice jure conferendi, vel eligendi, & devolvitur ad Superiorem, C. 3. h. t. C. 2. de Conces. Præbend. Et quidem ad immediatum, & cum omnibus qualitatibus beneficio annexis, tùm quoad personas eligendas, tùm quoad tempus intra quod est eligendum: nam Superior, ut subrogatus induit naturam ejus, cui subrogatur, C. 41. de elect. L. 10. §. 2. ff. Si quis cautionem. Si collatio Superioris ob aliquod impedimentum non subsistat, jus conferendi descendit ad Ordinarium collatorem. Si Papa conferat, licet inutilitè, per appositionem manus Papalis ipsi manet beneficium reservatum, quin ab alio possit conferri, *Gonz. in Reg. 8. Cancell. §. 3. Proem. n. 146.*

198. Si ergo inferiores Prælati non conferant beneficia intra tempus à jure præscriptum, tunc Prælati Superiores illa debent conferre jure devoluto, seu devolutivo, quod aliqui *caducum* vocant. Tempus ad conferendum inferioribus assignatum incipit currere à die notitiæ vacationis C. 3. h. t. nec currit legitime impedito, C. 41. C. fin. de Elect. L. 8. tit. 16. p. 1. Nam hoc jus devolutionis est introductum ad coercendam negligentiam inferioris, quæ nequit absque scientia, & notitia vacationis dari. C. 2. de Const. post notitiam tamen currit de momento ad momentum, ac proinde eo elapso, statim, nulla prolata sententia negligens privatur eligendi facultate, C. 2. C. fin. h. t. ac per consequentes electio, vel collatio ab eo facta nulla est ex defectu potestatis, C. fin. h. t. L. 8. tit. 16. p. 1. ibi. *Ende qualiter Prelato, que los non diesse fasta esse plazo, pierde el derecho que havia de darlos.* Hinc est, quod cum ad Superiorem sit devoluta potestas, non potest à negligentia mora emendari in Superioris præjudicium, & solum poterit talis electio, vel collatio post terminum facta sustineri ex R. Pontificis dispensatione, ut in C. 4. h. t. *Gonz. in C. fin. h. t. ex n. 10.* Hoc jus devolutivum habet locum in omnibus beneficiis Ecclesiasticis, Regularibus, & Secularibus, *Cl. un. h. t. & sive* per electionem, sive per presentationem, vel collationem conferuntur. Si inferior Episcopo, non tanquam Patronus, sed aliquo speciali jure habeat facultatem eligendi, si negligens sit devolvitur jus eligendi ad Episcopum, si vero ille sit exemp-

tus, devolvitur ad R. Pontificem: idem est, quando Episcopus est exemptus, C. 3. h. t. Si electio tantum ad Episcopum, non exemptum, & quidem jure proprio, & ordinario pertinet, si negligens sit, ad Capitulum ob rationem communicationis, quod inter Capitulum, & Episcopum est, devolvitur, C. 2. de Conces. Præb. si tamen electio ad Episcopum aliquo jure speciali, vel ex delegatione pertinet, devolutio fit ad Archiepiscopum. Nam Capitulum non habet communicationem cum Episcopo in his, quæ jure speciali conveniunt. Si electio ad Capitulum Cathedralis spectet, etiamsi Episcopus, ut Canonicus tali electioni possit interesse, negligente Capitulo, ad Episcopum devolvitur electio. Si verò ad Capitulum, & Episcopum simul spectet, per ipsorum negligentiam ad Archiepiscopum devolvitur electio, C. 15. de Conces. Præb. ibi: Quod si vos, & idem Archiepiscopus intra tempus prescriptum circa hoc negligentes extiteritis, sicut nec ab illo ad vos, ita nec a vobis ad illum potestas devolvitur conferendi, sed secundum statuta Lateranensis Concilii, ad Superiorem transit donatio, nisi forte Archiepiscopus, non ut Prelatus, sed ut Canonicus vobiscum jus habeat conferendi. Et in hoc casu cum dolore impeditur, dolus ei suffragari non debet. Quando collatio, vel electio pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, uno eorum electio inhabilis, ad alium pertinet, & devolvitur collatio, vel electio, C. un. de Sede vac. in 6. quæ omnia constant ex L. 9. tit. 16. p. 1. Gonz. in C. fin. h. t. n. 15.

199 Si Ecclesia exempta immediate subjecta Pontifici negligat intra tempus legitimum Prelatum eligere, devolvitur hæc potestas ad Papam. Si non sit exempta, & sit Cathedralis devolvitur ad Archiepiscopum: si inferior, Regularis, vel Sæcularis, ad Episcopum devolvitur, C. 41. de Elect. quo corrigitur jus antiquum in C. 12. de Conces. Præb. Si Patronus Laicus negligat intra quadrimestre præsentare, & supplebit Superior (etiãmsi non sit Episcopus) ad quem spectat instituere præsentatum, C. 3. C. 27. de Jur. Patron. Patronus Ecclesiasticus, etiamsi à Laico jus Patronatus adquisierit, semestre habet ad præsentandum, C. un. §. 1. de Jur. Patr. in 6. quod si negligens sit, jus præsentandi, & conferendi devolvitur ad ordinarium collatorem: à fortiiori erit habendum pro Ecclesiastico jus patronatus mixtum, cum prevaleat, quod magis dignum est; arg. C. un. §. 1. de Jur. Patr. in 6. Gonz. in C. fin. h. t. n. 10. Nostris Re-

gibus non nocet lapsus quadrimestris, licet intra ipsum non præsentent ipsi, vel eorum Officiales ad Ecclesias Cathedrales, vel alia beneficia juris patronatus, sive in Hispania, sive in Indiis, eo quod pluribus, maximisque occupationibus impeditis tam in bello, quam in pace, non possit ad negligentiam imputari, si non præsentent tempore prescripto: imò maxime eis indulgendum est; arg. C. 5. de Conces. Præb. Solorz. de Jur. Indiar. t. 2. lib. 3. cap. 3. n. 49. & 50. alios citans.

200 Cum generaliter prohibeatur Archiepiscopo exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum, C. 11. de Offic. Ordin. nisi expressè ipsi concedatur, C. 1. h. t. in 6. non potest Archiepiscopus supplere negligentiam Episcopi in administratione justitiæ, vel officii cognoscendo de causis subditorum Episcopi in prima instantia, vel eos condemnando, excommunicando, absolvendo, ordinando, &c. possunt tamen Æconomos constituere ex dispositione, Text. in C. 3. q. 3. Si Episcopus ob negligentiam nolit, vel ob suspensionem, vel excommunicationem non possit ad suum officium pertinentia exercere, recurret Capitulum ad Papam, tanquam universalem Pastorem, ut vel compellat, vel absolvat, vel provideat, C. 17. C. 18. q. 3. Quando Episcopus est ab hostibus captus, vel amens, cum tunc perinde sit, ac si Sedes vacaret, jurisdictione in Ecclesiam, & Diocesim devolvitur ad Capitulum, C. 3. h. t. in 6. Si ille qui alicui communitati præest, sit in officio negligens potest Superior illi dare idoneum Curatorem, C. 2. h. t. in 6. Ecclesia Cathedrali vacante solus Papa Visitatorem deputat, nisi forte Capitulum in spiritualibus, & temporalibus negligeret, aut perperam administraret: nam tunc Archiepiscopus, vocato Capitulo, causæque cognitione super hoc præmissa, Visitatorem, seu Administratorem deputat. Et quidem deputatus à Papa confert beneficia, quæ ad collationem pertinent Episcopi: sedus deputatus ab inferiori, C. fin. h. t. in 6. Si Episcopus ter requisitus renuit benedicere Abbates, illi Subditos, possunt hi suos Monachos benedicere, C. 1. h. t. Sed hodie vel nulla indigent benedictione Abbates Monachales, vel possunt quemcumque Episcopum, vel suum Generalem, vel Vicarios ab eo deputatos pro benedictione accedere. Ex Conces. Innoc. VIII. & Clem. VIII. lqq.

201

TIT.

TIT. XI.

De Temporibus ordinationum, & qualitate Ordinationum.

201 Non agimus hic de ordine in ea latitudine, in qua à Div. August. dicitur, quod est parium dispariuntque rerum, sua cuique tribuens dispositio, sed per illa potestate, quam Clerici recipiunt administrandum Altari. Ordinatio est ipsa actio, seu caremonia sacra, per quam stabiliter ea potestas confertur. Ordo enim est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritalis potestas traditur ordinato, juxta Mag. sentent. in 4. D. 24. q. 1. Et explicat D. Thom. ibid. q. 1. art. 1. q. 2. dicens: Quod definitio Magistri duo ponit: signum exterius, ibi: Signaculum quoddam, & effectum interiore ibi: per quod spiritalis potestas, &c. Prædictam ordinationem esse Sacramentum à Christo D. institutum est de fide contra Lut. Illyric. Kemnitium, & alios Hæreticos, qui negant, ordinem esse Sacramentum apud Bellarm. Et est definitum in Trid. sess. 7. de Sacram. in gener. Can. 1. & sess. 23. cap. 3. & Can. 3. Hoc Sacramentum fuit institutum in nocte cænæ: Nam postquam Dominus suum Sacratissimum Corpus Discipulis dedit, addidit: Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. v. 19. Et tunc hoc Sacramentum fuit institutum; Barros. de Offic. Episc. alleg. 2. n. 2. plures citans.

202 Sacramentum ex D. August. in C. 32. de Consecr. D. 2. est invisibilis gratiæ visibilis forma. Ita & Mag. in 4. D. 1. q. 1. quæ definitio convenit ordini, consequenter quæ est Sacramentum, gratiam confert, 1. ad Timot. 4. ibi: Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii, & characterem imprimit, sicut baptismus, & confirmatio, Trid. sess. 23. cap. 4. & Can. 4. Et quamvis omnes ordines physice distinguantur, omnes constituunt unum tantum Sacramentum moraliter per aggregationem, & ratione finis, ad quem ordinantur, nempe ad constituendum idoneum Eucharistiæ Ministrum; & per quos gradatim ascenditur. Et licet in quolibet ordine distinctus imprimatur character, omnes simul faciunt, & integrant unum characterem ordinis, Div. Bonav. in 4.

D. 24. p. 2. art. 1. q. 1. & 2. & 3. Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2211. Ex his, quinque primi appellantur minores, cæteri autem majores vocantur, & etiam sacri: habentque votum castitatis annexum. Audiamus Divum Isidorum sic de ordinibus loquentem; in C. 1. D. 21. Generaliter Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deservunt; quorum gradus, & nomina sunt hæc Officia-rius, Psalmista (id est prima tonsura initiatus, qui, & dicitur Cantor in C. 20. D. 23. l. 11. tit. 6. p. 1.) Lector, Exorcista, Avolyrus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. Eosdem numerat R. N. Alphonsus in Proem. tit. 6. p. 1. ibi: Nueve ordenes de Angeles orden mestro Señor Dios en la Iglesia Celestial, & puso à cada una de ellas en su grado, & dió mayorias à los unos sobre los otros, & puso los nomes segun sus officios: endè à semejanças de esto ordenaron los Santos Padres en la Iglesia terrenal nueve ordenes de Clerigos: Communis enim sententia Canonistarum est, ordines esse novem, contra TT. qui septem tantum, esse contendunt. Et quia solum de prima tonsura, & Episcopatu dubitatur, cum in cæteris non detur dissidium, breviter meum dictamen aperiam.

203 Plurimi negant primam tonsuram, esse ordinem, secuti Mag. sent. in 4. D. 24. q. 2. & ibid. D. Thom. art. 1. q. 2. D. Bonav. p. 2. art. 2. q. 2. à quibus invitus, & dolens descenderet cogor: sicque assero, primam tonsuram, seu psalmistatum esse ordinem, & Sacramentum, securus in hoc Sacros Canones, Div. Isidorum, R. N. Alphonsus, & alios. Nam tonsuratus, cantor, seu psalmista inter Clericos numeratur, in C. 2. D. 44. Can. 25. Apost. C. 1. D. 77. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 1. Pontif. Rom. in tit. de Ordin. confer. Deinde Innoc. III. interrogatus, an Clericatus ordo in tonsura conferatur, disertè respondit in C. 11. de Etate, & qualit. per primam tonsuram, juxta formam Ecclesiæ datam à talibus Clericis ordo confertur Bonif. VIII. in C. 2. de Pœnis in 6. statuit: quod in degradatione auferat Episcopus Clerico omnia vestimenta, inchoando, & descendendo gradatim, degradationem continet usque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ. Item Sacra Congregatio respondit, primam tonsuram imprimere characterem, ac iterari non posse, quod præcipue probatur ex Const. Innoc. XII. Speculatorum, 4. Nov. 1694. ubi Characterem Clericalem suscipere, ait, tonsuratum. Denique prima tonsura habet propriam materiam, formam, & Ministrum: quid